

pita quàm maximè composita pone, conf. probl. 8. Aggregatum omnium variationum de omnibus complexionibus, subtractis subtrahendis, erit *quesitum*.

Probl. XII.

VARIATIONES UTILES REPERIRE.

13 Solutio est ut in proximè antecedenti, si hæc saltem mutes, in via 1. loco problem. 12. pone II. &c. & subtrahatur summa inutilium per probl. 11. viam secundam. In via 2. inveniuntur capita variationum utilium? cætera ut in probl. proximo.

Ufus Problem, 7. 8. 9. 10. 11. 12.

14 Si cui hæc problemata aut obvia aut inutilia videntur, cum ad praxin superiorum descenderit aliud dicet. Rarissimè enim vel natura rerum vel decus patitur omnes variationes possibili-les, utiles esse. Cujus specimen in argumentò minùs fortasse fructuoso, in exemplum tamen maximè illustri daturi sumus.

15 Diximus supra *Proteos versus* esse purè proteos, id est in quibus pleræque variationes possibili-les sunt, ii nimirum qui toti propemodum monosyllabis constant; vel *mixtos*, in quibus plurimæ incidunt inutiles, quales sunt qui polysyllaba, eaque

16 brevia continet. In hoc genere inter veteres, qui mihi notus sit tentavit tale quidam idem ille de quo probl. 6. Publilius Porphyrius Optatianus. Et Erycius Puteanus Thaumaturg. Piet. lit. N. pag. 92. ex aliis ejus de Constantino versibus hos refert:

Quem divus genuit Constantius Induperator

Aurea Romanis propagans secula nato.

Ex illis primus est Torpalius, vocibus continuè syllaba crescentibus constans; alter est Proteus sexi formis, si ita loqui fas est.

Aurea Romanis propagans secula nato

Aureo propagans Romanis secula nato

Secula Romanis propagans aurea nato

Sæcula propagans Romanis aurea nato

Propagans Romanis aurea secula nato

Romanis propagans aurea secula nato.

Verùm